

QUÆSTIO II.

Rectè, ac sanctè in Ecclesia sunt benedictiones ad effectus supernaturales efficiendos, ac significandos.

SUMMARIUM.

5 Rectè, & sanctè ab Ecclesia sunt benedictiones.

6 Benedictiones sanctè, ac piè sunt ad effectus supernaturales.

7 Tamen hujusmodi benedictiones non operantur infallibiliter, quia saepe nobis non conveniunt.

5. Multi fuerunt impij Hæretici, ut Vviclef, quod idixerunt, quod benedictiones essent sine fructu, ac utilitate in Ecclesia, quos fortiter, & doctè impugnat Noster Vvaldenfis lib. de Sacrament. a cap. 10. Tamen Catholica fides constanter tenet, quod rectè, & sanctè in Ecclesia benedicuntur aquæ, oleum, panis, cerei, cineres, rami, & similia. Et probatur. Primò, ex Scriptura, quæ continet exemplum, & documentum, exemplum adest Domini Matth. 14. Luc. 9. qui panes multiplicaturus aspiciens in cælum, Benedixit eos. Documentum est Pauli. 1. Timoth. 4. Omnis creatura Dei bona est, nihil abiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur, sanctificatur enim per verbum Dei, & orationem. probatur secundò, ex traditione Sanctorum patrum, & primum de aqua, quæ solet benedici ab ipso tempore Apostolorum, pro quo faciunt innumerabilia testimonia D. Clementis, Dionysii, Cyrilli, Cypriani, Ambrosii, Basilii, Epiphani, Augustini, Theodoretii, quos citat Bellarminus de cultu Sancti lib. 3. cap. 7.

6. Et rectè ad effectus supernaturales efficiendos, ac significandos vitur Ecclesia aquâ oleo, aliisque rebus benedictione dedicatis, & hæc omnia propter tres fines in Ecclesia benedicuntur, primò. Ad significandos spirituales effectus cineris enim aspersio, significat poenitentiam; palma victoriam, cerei paschales gloriam resurrectionis. Secundò, ad delenda peccata venialia, de qua re videndus est D. Thom. 3. p. 2. q. 87. art. 3. ibi; Expositores, quia hæc semper fiunt, & recipiuntur; cum aliqua detestatione peccatorum, & motu pio in Deum, ac res sacras. Tertiò, ad fugandos Dæmones, & curandos morbos, ut ex precibus, ac orationibus, quibus benedicuntur, patet.

7. Tamen, ut jam dixi superiori quæstione, hujusmodi res non operantur infallibiliter, ut Sacramenta. Et ratio est, quia tales res habent hujusmodi vim, non ex pacto Dei expresso, ut Sacramenta, sed ex precibus Ecclesiæ, ac devotione fidelium; tum etiam quia aliquando non expedit nobis, ut liberemur, vel à morbo, vel à vexatione præsentis, etiam ut latè probat Bellarminus citatus cap. 7. probans hunc tertium effectum multis exemplis Sacre Scripturæ, ac documentis Sanctorum patrum.

QUÆSTIO III.

Quisnam potest benedictionem impendere publice, ac solemniter?

SUMMARIUM.

8 Quomodo se debeat habere Sacerdos celebrans coram proprio Episcopo vel

9 Benedictiones solennes multam vim habent ad multa.

Quisnam possit dare benedictionem publicam.

10 Et etiam Abbates ex privilegio.

11 In quo loco, & quando tales benedictiones sunt danda.

12 Qui Abbates in præsentia Episcopi.

13 De hoc privilegio Abbatum non gaudent alii Religiosi.

8. Non loquimur de benedictione privata: nam hæc à qualibet persona particulari potest exhiberi. De benedictione verò, quam presbyter celebrans dat in fine Missæ, si coram Episcopo celebrat, ei innuere debet, an velit ipse benedicere, si verò nolit, benedicat tunc Sacerdos simplici benedictione, nulla alia expressa petita licentia. Ita Sylvester verb. Benedictio, n. 1. Hoc tamen intelligendum est de Sacerdote celebrante coram proprio Episcopo loci. Gavantus verb. Benedictio, nu. 21. At verò si coram Episcopo extraneo, quid tale non debet expectare.

9. De benedictione verò solemnique incipit à versu illo, Adjutorium nostrum, &c. sunt quædam publicæ orationes, quæ à ministris Ecclesiæ sunt institutæ super personis, aliisque rebus sensibilibus pronuntiar solitæ, quæ cum fiant nomine Ecclesiæ, quæ semper grata, & accepta est Deo; pie sendum, imò & pro certo habendum, hujusmodi Ecclesiæ benedictionibus, atque rebus benedictis magnam vim inesse ad conciliandum hominibus per misericordiam Dei, bonos motus divinæ gratiæ, quibus à peccatis mundentur, virtutibus augeantur, & à corporalibus periculis custodiantur, vel eripiantur, sicut Deo expedire visum fuerit pro suo loco, ac tempore, de quo videndus est Suarez parte tertia, & tom. 3. disp. 15. Suar. sect. 4.

10. Benedictionem solemnem publicam possunt dare Episcopi in tota sua Diocesi; Archiepiscopi in tota sua Provincia, cum visitant; legati in toto ambitu suæ legationis, & communiter tradunt Doctores, Sylvester verb. Benedictio, n. 1.

11. Etiam Abbates, qui obtinent usum baculi, & Mitræ ex cap. Abbates, de privilegio, in sexto. Tum etiam ex multis concessionibus Apostolicis, videlicet, Innocentii VIII. Alexandri VI. Leonis X. Pii V. pro Abbatibus Canonicorum Regularium. Urbani I. Pii IV. Eugenii IV. pro Abbatibus Cassinensibus. Urbani V. Bonifacii IX. Gregorii IX. Martini V. pro Abbatibus Vallis umbrosæ. Innocentii VIII. pro Abbatibus Cisterciensibus. Eugenii IV. pro Celestinis.

Quæ

QUÆSTIO IV.

Quanam res Ecclesiastica sint, quas Prælati Regulares valeant benedicere?

SUMMARIUM.

15 Abbates non solum possunt benedicere vestimenta, sed etiam calices, patenas, ac petras Ara.

In patribus Indiarum possunt Provinciales, & Fratres talia consecrare.

16 Facultas concessa Abbatibus non extenditur ad alios Prælatos Regularium.

17 Prælati Regulares possunt solemniter benedicere suas Ecclesias, ac Cæmeteria.

18 Possunt Prælati Regulares post 24. horas à sua electione benedicere ornamenta, & corporalia.

15. Primò. Sunt aliqui Abbates, qui non solum valent benedicere vestimenta, ac ornamenta Ecclesiastica; ac corporalia, sed etiam calices, ac patenas consecrare; ita constat ex privilegio Bullar. Innocentii VIII. in Bullario, Rodrig. Constitutione quinta hujus Pontificis, concessa Abbati Cisterciensi, ac quatuor primis Coabbatibus, qui valeant consecrare calices, & patenas tam suarum Ecclesiarum, quam si aliunde deferantur. Et Pius IV. Constit. 97. concessit Abbatibus benedictiones, ut possent consecrare altaria portatilia vulgo petras Aræ, pro suis Ecclesiis tantum. Et Paulus III. Sacerdotibus Societatis, in partibus, in quibus facile Episcopus Catholicus non invenitur. Ita Barbosa de Officio Episcopi allegat. 27. n. 16. Miranda tom. 2. n. 41. art. 4. Tambur. de jure Abbatum tom. 1. disp. 23. quæst. 13. Portel. in dub. Regul. verb. Abbas, num. 3. Diana part. 3. tractatu 1. Resolut. 15. Rodriguez tomo tertio, semm. cap. 19. num. 2. Qui etiam ait tomo 1. q. 28. artic. 1. quod Gregorius XIV. concessit Abbatibus Ordinis Cisterciensis privilegium consecrandi Aras, & Calices, & etiam Adrianus VI. concessit Provincialibus Indiarum Minorum, & Fratribus, quibus hoc commiserint facultatem consecrandi Altaria, & Calices, etiam ad alienum usum in casu necessitatis Episcoporum. Ita Pellizar. tom. 2. tract. 8. cap. 5. n. 102. & 103.

16. Et ut jam dixi in fine superioris quæstionis hæc privilegia concessa Abbatibus, cum habeant usum Pontificalium, non extenduntur ad alios Prælatos, etiam cum eis communicantes, quia talem usum Pontificalium non habent, & etiam privilegia concessa pro partibus Indiarum in necessitate Episcoporum, non intelliguntur extra concessa, nisi forte tunc extra Indiam in aliquo loco, eadem necessitas urgeat, quia tunc ex mente interpretativa Pontificis, ac ex paritate rationis uti tali facultate poterunt, v.g. in parte remota Africæ, vel Æthiopiæ.

17. Dico secundo, Prælati Regulares possunt benedicere benedictione solemnique suas Ecclesias, Cæmeteria Ecclesiastica, & Oratoria.

Quæ & multa alia privilegia referunt Tamburinus tomo primo, de jure Abbat. disp. 21. quæstione septima. Barbosa de jure Ecclesiast. libro primo, cap. 17. numero quadragesimo se primo, affirmans, quod hodie omnes ferè Abbates regulares habent à Sede Apostolica concessionem benedicendi, eisdemque concessionem refert Balleus tomo secundo, verb. Benedictio, num. 12.

12. Hæc autem privilegia pro benedictione solemnique populi regulariter sunt in fine Missarum, Matutini, & Vesperarum solemnium, ut ex ipsis privilegiis constat. De loco autem, in quo danda sit benedictio, consideranda sunt privilegii verba, tamen communiter si aliud non exprimitur, solum intelligitur de propria Ecclesia, & non alibi, nec per vias more Episcoporum. Azor. tom. 1. lib. 12. cap. 20. quæst. 7. Rodriguez tomo 1. quæst. 18. art. 1. Et pro hac re quandam declarationem Cardinalium refert citatus Tamburinus, disp. 23. quæst. 1. num. 1. Riccius de rebus Ecclesiast. Resolut. 461. part. prima. Ursellius in examine conclusion. legalium, conclus. 1. n. 123.

13. Talis benedictio dari potest ab Abbatibus, non tamen in præsentia Episcopi, vel alterius maioris Prælati, cap. Denique 21. distinct. cap. Ministrare; 26. quæst. 6. cap. Cum ad celebranda, de consecratione, distinct. 1. Novarinus verb. Benedicere, num. 14. Non enim minor debet majorem benedicere. Limitatur tamen assertio, nisi aliqua existat specialis concessio à Sede Apostolica, ut facta habetur à Sixto IV. Abbati Sanctæ Mariæ Pacis Congregationis Canonicorum Regularium Lateranensi, ut liberè valeat talem solemnem benedictionem impendere, etiam si tunc præsens adsit aliquis Antistes, Cardinalis, vel Sedis Apostolicæ legatus. Habetur per extensum in libro Privilegiorum ejusdem Congregat. pagina 369. & testatur Gabriel. Pennot. in sua tripartita historia, lib. 2. cap. 33. Hoc privilegium datum fuisse in praxi anno 1624. die 2. Julii in Festo Visitationis Virginis Mariæ, coram duodecim Illustrissimis Cardinalibus Refert Novarinus in sua Lucerna, verb. Benedicere, numero decimo septimo. Barbosa de jure Ecclesiast. lib. 1. cap. 17. num. 50.

14. Hæc tamen privilegia non communicantur cum Superioribus aliarum Religionum, quamvis ipsi habeant communicationem privilegiorum, quæ concessa sunt Monachalibus Ordinibus; & merito sanè, quia talia concessa sunt Abbatibus, quia ipsi habent usum Pontificalium, veluti Episcoporum; quod non competit aliis Superioribus. Ita Suarez tomo quarto, de Religione, tractatu octavo, libro secundo, cap. 29. num. 27. Miranda in manuali, tomo secundo, quæst. 40. articulo quarto. M. Lezana verb. Benedicere, numero quarto. Diana parte tertia, de Regularibus, tractatu 2. Resolut. 15. Fragosus parte 2. lib. 11. disput. 4. §. 3. num. 1. Bordonus tom. 1. Resolut. 17. num. 3.

15. Quæ

Hoc patet ex indulto Bullato Leon X. concessio Minoribus de Observantia, & refertur in compendio Mendicantium, verb. Benedicere, num. 14. Ita Auctores mox citandi

18. Dico tertio, possunt Prælati Regulares, & etiam eorum Vicarii, ac præfidentes post. 24. horas benedicere ornamenta, & corporalia, ut habetur ex privilegio Innocentii VIII. per Bullam authenticam concessio Augustinians, ut refert Castarrubius, verb. Benedicere, num. 8. quod etiam Iulius II. concessit Minimis, ut testatur Castarrubius citatus num. 11. Peirinis tom. 1. Privileg. Minor. Constit. 11. Julii II. quod etiam pro Minoribus concessit Leo X. ut referunt idem Auctores, & Pius V. hoc indultit Patribus S. Justinae de Padua, Portel, verb. Benedicere, de quo etiam participant omnes alii Religiosi cum eis communicantes. Lezana tom. 5. verb. Benedicere, num. 8. & 9. Rodriguez, Miranda Fragoi, quos citant, ac sequuntur Fr. Martin. à S. Joseph, pag. 22. num. 16. Vidal, Inquisit. de jurisdict. n. 25.

19. Dico quarto, prædicti Prælati Regulares, ac etiam eorum Vicarii, ut dixi superiori conclusione possunt benedicere prædicta ornamenta, ac corporalia, tam pro suis Ecclesiis, quam pro alienis, ac extraneis ex quacunque orbis parte; prædicta enim privilegia sunt absolute, & simpliciter concessa, ergo absolute, & simpliciter sunt intelligenda, ubi enim lex non distinguit, nec nos distinguere debemus. Ita Martin. à S. Joseph, citatus fol. 223. num. 15. & Vidalius proxime citatus Pellizar, tomo secundo, tract. 8. cap. 5. sect. 3. num. 105. & 113. Fr. Antonius ab Spiritu Sancto in Directorio, tomo primo, tract. 2. disp. 1. sect. 3. num. 134.

Nec obstat id, quod in contrarium obijciunt Gavantus verb. Benedicere; & Bordonius tomo primo, Resolut. 17. num. 9. & M. Lezana verb. Benedicere, num. 8. & 9. Sacram Congregationem declarasse anno 1609. die 13. Martii, Prælatos Regulares non posse uti dicto privilegio, nisi in rebus, in quibus Sacra Unctio non adhibetur; & pro servitio dumtaxat Monasteriorum, & Ecclesiarum propriarum. Respondetur non constare nobis authenticè de tali declaratione, quod erat necessarium ad ejus fidem, ac observationem, juxta declarationem ejusdem Sacrae Congregationis sub Urbano VIII. die 11. Augusti 1632. & referunt Vidalius Inquisition. de jurisdict. n. 25. Lezana verb. Sacra Congregatio, num. 5. Pellizarius tom. 2. tract. 10. cap. 10. num. 43. ad finem. Ubi præcipit Sacra Congregatio, quod talibus declarationibus sive impressis, sive imprimendis, nisi fuerint authenticæ, nulla adhibeatur fides sive in judicio, sive extra, & ideo quoad opposita declaratio data anno 1609. non ostenditur authenticè, standum est Bullato privilegii citatis conclusione hac 2.

21. Dico quinto, quod hæc sit regula generalis ex privilegio Bullato Leonis X. concessio Minoribus, quo gaudent alia Religiones cum eis participantes, ubi extenditur facultas benedicendi, ad quacunque ad divinum Cultum, & usum Fratrum necessaria, in

quibus Christum non intervenit. Ex quo fit quod possunt benedicere Pixidem, seu vas, in quo Christi corpus reservatur, quod etiam patet ex privilegio Innocentii VIII. Bulla V. ex Julio III. Possunt etiam benedicere campanas, Imagines, Cruces, ex modo citatis privilegiis Innocentii, & Julii. Ita Suarez tomo quarto, de Religione, tract. 8. lib. 2. cap. 30. num. 1. & 4. Tamburinus tom. 1. de jure Abbatum, disp. 23. quest. 3. num. 7. M. Lezana verb. Benedicere, num. 11. & 12. Pellizarius tom. 2. tract. 8. cap. 5. sect. 3. num. 105. Fr. Anton. ab Spiritu Sancto in Director. tom. 1. tract. 2. disp. 1. sect. 3. n. 136.

Mentio tamen notant hi duo ultimi Auctores, scilicet Pellizar, & Fr. Anton. cum Lezana Regular verb. Benedicere, ex Tamburino. Quod facultas concessa ab Innocentio VIII. & Julio III. ad benedicendas res proximè dictas, non restringitur tantum ad benedicendas res proprias benedictorium, sed conceditur ad benedicendas res alienas, ac aliarum Ecclesiarum, scilicet Imagines, Cruce ac Pixidem, in quo Christi corpus servatus, juxta communem regulam, ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus.

RESOLUTIO XVIII.

Bigamia.

QUESTIO UNICA.

Utrum Prælati Mendicantium possint dispensare in Bigamia?

SUMMARIUM.

- 1 Quid, & quotuplex sit Bigamia.
- 2 Proponitur pars negativa.
- 3 Prælati Regularis potest dispensare cum suis subditis bigamis quoad Ordines Minores.
- 4 Prælati possunt dispensare cum suis subditis in omni bigamia.
- 5 Bulla Pauli III. pro una die.
- 6 Ex dispositione Bullæ aperte colligitur facultas.
- 7 Privilegium explicandum secundum antiquam consuetudinem.
- 8 Aliud privilegium ex compendio Societatis.
- 9 Stylus Curia varius & non obligat in lex. & num. 10.
- 11 Sub clausula generali venit Bigamia.
- 12 Privilegia Regularium in eorum favorem explicanda.
- 13 Absoluti non solum pro foro interiori, sed etiam exteriori.
- 14 Prælati Regularis potest dispensare in omni irregularitate, in qua solet Pontifex dispensare.

BIGAMIA, vox est Græca, & significat multiplicatum matrimonium. Inde, qui duplex contrahit matrimonium dicitur Bigamus. Bigamia

Bigamia autem triplex est, prima vera, & realis. Secunda, interpretativa, seu ficta. Tertia, similitudinaria. Vera & realis est, quando quis validè contraxit cum duobus, & consummavit. Interpretativa, seu ficta, quando quis revera non contraxit duo matrimonia, sed juris fictione, ac interpretatione, censetur contraxisse, ut si quis contrahat cum vidua, ac corrupta. Similitudinaria est, cum ex eadem juris interpretatione, duplex matrimonium reputatur, ut cum quis post votum solemnè castitatis contraxit cum Virgine, eamque cognoscit. Ita communiter Doctores. Noster Baconius in 4. distinct. 25. artic. 3. M. Cornejo tract. 5. de irregularitate: disput. 10. dub. 1. & 2. Suarez tom. 5. ad 3. part. cap. 3. Bonacina de censuris, disp. 7. q. 2. punct. 5. Qui omnes bene notant hanc irregularitatem dici ex defectu, non quia ad eam semper præsupponatur culpa, sed quod iterata matrimonii repetitio, non aptè repræsentat conjunctionem Christi unius cum una Ecclesia, quæ est Virgo pura incorrupta, sine macula, & ruga.

Tota difficultas in hac materia in eo vertitur, an Prælati Regulares possint cum suis subditis dispensare in hac irregularitate Bigamiæ, & de hoc mihi olim fuit magna controversia, cum quodam viro satis docto, & partem negantem tueretur Fr. Bartholom. de Vechis in praxi observanda, disp. 9. dub. 15. num. 2. Afcancius Tamburinus tom. 2. de jur. Abbat. disp. 17. q. 3. n. 2. & alii, quos citat, ac sequitur Barbosa de potestate Episcopi, p. 2. allegat. 49. num. 18. Pro hac sententia etiam stat Lezana tom. 1. summa; cap. 18. num. 42. & Diana tom. 4. tract. 2. Resolut. 63. concedit tamen fieri posse in bigamia similitudinaria, quorum fundamenta postea apponam in hac difficultate.

De eo primò. Quod Prælati Regularis ex mendicantibus potest dispensare cum suis subditis bigamis ad Ordines minores. Ita D. Thom. in 4. distinct. 27. art. 2. Sylvester verb. Bigamia, q. 6. Miranda tom. 2. q. 8. art. 2. §. Secunda conclusio. Sayrus lib. 6. cap. 6. num. 11. & 13. M. Petrus Cornejo in 3. part. D. Thomæ, tract. 5. de irregularitate, disp. 10. dub. 1. quest. 5. Sanchez de matrim. lib. 7. disp. 86. num. 11. Azor. part. 2. lib. 5. cap. 20. quest. 2. & lib. 6. cap. 4. quest. 8. & 11. Joannes de la Cruz in Direct. part. 2. de irregularitate, dub. 1. conclus. 1. Probatur, quia Episcopi possunt dispensare cum suis subditis bigamis ad Ordines Minores, ut tenent citati Auctores, & alii multi, quos late adducit allegatus Barbosa allegat. 49. num. 24. & constat ex cap. Lector. disp. 34. ergo etiam Prælati Regulares deducto argumento ex cap. Cum illorum de sententia excommunicat. Deinde, ut tenet Sotus in 5. distinct. 27. quest. 3. conclus. 4. quia per Ordines Minores non ita est homo addictus ad res sacras, ut interveniente bigamia, vel alia irregularitate reprobetur, ut Prælati, seu Abbates queat dispensare, cum in hac re plus potestatis habeant Prælati Regulares, quam Episcopi, ut tenet Sayr. citatus, n. 23. referens alios.

Dico secundò, quod Prælati Regulares, ut Abbates, Generales, Provinciales, ac Priores

possunt dispensare cum suis subditis in bigamia vera, interpretativa, ac similitudinaria, Avila etiam publica, ac manifesta. Ita Avila de censuris, part. 7. disp. 8. dub. 4. §. Octava conclusio. Henriquez lib. 12. cap. 6. n. 11. liter. Z. Portel. in Additionibus ad dubia Regul. verb. Dispensare, num. 4. & 5. Hieron. Rodrig. in Additionibus Resol. 16. n. 14. Bassæus verb. Abbas, §. 3. M. Cornejo in 3. p. D. Thomæ, tract. 5. de irregularitate, disp. 10. dub. 1. in fine Carcere lect. 12. fol. 603. Carreres. Pellizar. tom. 1. tract. 9. cap. 3. n. 135. Lezana verb. Irregularitas, in summa, num. 72. Dicitur quod Prælati ea uti possunt. Peirinis de Relig. Prælat. tom. 2. q. 2. cap. 5. §. 8. num. 99. Castro Palaus tom. 5. disp. 6. de censur. punct. 8. n. 21. Nobiscum confertur Bordonius saltem in bigamia similitudinaria. Ait enim cap. 4. de Professis, q. 56. S. Bigamum, quoad Ordines Minores; imo quoad majores.

Probatur ex Bulla Pauli III. concessa Generali, Abbatibus, Prioribus, & præfidentibus Ordinis, Congregationis Sancti Benedicti Vallisolei, refertur quod Bullarium Rodriguez, & in et Bullas hujus pontificis decima est. In qua pontifex concedit, ut quotannis prima die Lunæ Quadragesimæ, hoc est Feria secunda post Dominicam primam Quadragesimæ, & sic habetur: Nos igitur, qui singulorum paterno zelamus affectu, hujusmodi supplicationibus inclinari vobis, qui stante immemorabili consuetudine hujusmodi etiam de cetero perpetuis futuris temporibus singulis annis, prima die Lunæ Quadragesimæ hujusmodi, omnes, & singulas utriusque sexus personas Ordinis, & Congregationis prædictorum Religiosos, ac eisdem Ordini, & Congregationi oblatas, seu donatas, necnon eremitas, sub cura vestra existentes inter septa vestrorum, seu ipsorum pro tempore absolvendorum Monasteriorum, seu aliorum Regularium locorum, ab omnibus, & singulis eorum peccatis, sententiis, censuris, & poenis, per eos pro tempore quomodolibet incursis, etiam in casibus dictæ Sedi quomodolibet reservatis, exceptis contentis in Bulla, que in die Cœna Domini solita est legi, absolvere; & cum eis super quibusvis irregularitatibus per eos pro tempore, quavis occasione, vel causa contractis dispensare, prout habemus, ut præfertur, consuevistis, dicta auctoritate valeatis plenam, & liberam, eadem auctoritate tenore presentium concedimus facultatem. Ubi pontifex generaliter, & verbis maxime universalibus loquitur, nulla facta exceptione, nec de homicidio voluntario, publico, seu occulto, nec de mutilatione, nec bigamia, & ubi lex nullam ponit limitationem, nec nos ponere debemus; maxime cum hæc concessio sit pro personis religiosis, & una die tantum anni, ut notant citati Auctores.

Probatur secundò, ex ipsa dispositione, ac concessione Apostolica: nam quando pontifex dat facultatem ad absolvendum à peccatis, sententiis, & censuris apponit exceptionem in casibus Bullæ Cœnæ: exceptis contentis in Bulla, que in die Cœna Domini solita est legi. At verò ad dispensandum in irregularitatibus absolute, & sine ulla limitatione facit concessionem: Super quibusvis irregularitatibus per eos pro tempore

Martin. Vidalius. Pellizar.

Anton ab Spiritu S.

20. Gavant. Bordon. Lezana.

Vidalius. Lezana.

S. Congr.

Baconius. Cornejo. Suar. Sayrus. Bonacina.

Vechis. Tambur.

Barbosa.

Lezana. Diana.

3

D. Thom. Sylvest. Miranda. Cornejo. Sanchez.

4

6